DE SECTIONE CAESAREA, ADIECTA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXII. M. JANUARII A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAIETANUS LUDOVICUS HOPPE

SEEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. RIESE, med. et chir. Dr., med. pract.
H. GENZMER, med. et chir. Dd.
B. BRUENING, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRUO OPTIMO

GEORGIO HOPPE,

MERCATORI GUTTSTADIENSI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quod omnes fere, qui summos in medicina et chirurgia honores adepturi, dissertationem conscribunt, verbis satis usitatis in prooemio conqueri solent: id mihi quoque accidit, nimirum ut haesitarem animo, quamnam potissimum materiam elaborandam mihi sumerem, tiro ego inops. Itaque dubitationibus multum jactato mihi praesens fuit Exp. Siegfried, Dr. med., quum calcar mihi admoveret, ut quendam sectionis caesareae cum successu ab eo institutae casum in publico proponerem. Illud igitur consilium mihi valde arrisit, non quod laboribus gravioribus curisque supersedere me posse crederem, sed quia meum semper judicium fuit, magis e re medica me fa-

cturum esse, si quandam memorabilem morbi historiam virorum eruditorum acumini suppeditarem, quam si aut conjecturis praecocibus observationibusque incertis consignandis operam et oleum perdidissem, aut opusculo ex pluribus autoribus conscribendo intemperanter abusus essem et otio et litteris.

Quare Dr. Siegfried, quas debeo pro subsidiis mihi praebitis nunc ago gratias maximas.

CAPUT I.

De sectione caesarea.

Hysterotomia (ab ὑστέρα, uterus et τομή, sectio), seu Gasterohysterotomia, s. Laparohysterotomia, s. Laparometrotomia, s. Hysteromotocia, s. Sectio caesarea (1) significat abdominis atque uteri incisionem lege artis eo consilio institutam, ut corporis fructus, qui via naturali pari non potest, edatur. Jam antiquissimis temporibus (2) e mulieribus sub finem graviditatis mortuis fructus

---

(1) cf. Plin. histor. natural. VII. 7. Auspicatius enecta parente gignuntur: sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Caesarum a caeso matris utero dictus: qua de causa et Caesones appellati.

(2) cf. Apollod. lib. III., c. 4. p. 146 ed. Heyn. Lucian. dialog. p. 99 vol. I. ed. Schmieder. Ovidii Metamorph. lib. II. v. 680 sqq. Virgil. Aeneid. lib. X. v. 314.

sectione eximebatur. A Sophista Gorgia, Leontino incipit series eorum, quorum auctores memoriam tradiderunt, Caesonum, inter quos celeberrimi illi Romani, Scipio Africanus et Manilius vitam debent legi a rege Numa Pompilio latae, quae ex eo lex regia nominata, hisce verbis exprimitur: „Mulier, quae praegnans mortua, ne humator, antequam partus ei excidatur. Quei secus faxit, spei animantis cum gravida occisae reus estod.“ Quae lex, cui simile quid etiam apud Aegyptios et Graecos jussum erat, aetate media ecclesiae ac novissimo tempore regum decreto sancta est (1).

De sectione caesarea in vivis instituta Nicolai de Falconiis primam facit mentionem a. MCCCCXCI. Non multo post anno millesimo quingentesimo Jacobus Nufer, porcorum sector, illa in sua ipsius uxore facta, et matris et infantis vitam servavit.

Attamen tum primum, quum princeps An-

(1) cf. Preuss. Landrecht Tit. XX. §. 737.

glicus, rex postea factus Eduardus IV., venia ab Henrico VIII. data, e matre Joanna Seymour exemtus esset, huic operationi inter ceteras concessus est locus, quem ei abusus fere jam demserat (1). Roussel fuit primus, qui operationis viam ac rationem excolebat atque ad abdominis latus sectionem instituendam docebat, id quod etiam Levret, Stein sen. faciebant. Tum vero in consuetudinem venit sectio in lineam albam directa, quae a Varoquier vel a Guénin inventa, ab Henkel primum in Germania exercebatur. Lauverjat sectionem transversam, a chirurgis rusticis jam prius patratam, et Stein jun. diagonalem facere docebat. Praeterea alii, imprimis Mende et de Graefe (2), de hac operatione magna sibi pararunt merita. Ritgen invenit Gastro-elytrotomiam.

---

(1) Paré et Hunter operationi inimicissimi fuere, Sacombe autem scholam constituit, quae dicebatur École enticésarienne.

(2) v. Graefe. Ueber Minderung der Gefahr beim Kaiserschnitt, nebst der Geschichte eines Falles etc. In v. Graefes u. v. Walthers Journal Bd. IX. Hft. I. S. 1. 1826.

In Britannia sectio caesarea, quamquam interdum, praecique a. C. Bell exercita, tamen multo rarius facta est, quam in Germania et Gallia, idque verisimiliter ob infelices ejus successus (1). Nihilominus haec operatio, quamvis re vera tantum praebeat periculi, ut ex novem mulieribus quinque moriantur, quatuor serventur, tamen certis casibus unicum est remedium, ut unius vel duorum hominum vita sustentetur; nec unquam omnino rejici neque aliis remediis, exempli gratia partu praematuro artificiali, excerebratione, embryotomia, aliis potest substitui.

Indicata est operatio:

1. apud parturientem vivam, cujus fructum adhuc vivere certum est, ubi pelvis spatii tanta adest angustia, ut fructus permeare non possit, nisi necetur vel maceretur. Itaque facienda est:

a) si conjugata fructu maturo duos pollices et dimidium, magno infantis capite, suturis et fonticulis ossificatis, duos pollices et tres quadran-

---

(1) Coopers Handbuch S. 328.

tes vel pollices tres, quod attinet longitudinem, non transgreditur.

b) Si minoris pelvis apertura, vel media, vel inferior, vel utraque, tam angusta est, ut infantis caput in illam non possit intrare, aut per hanc permeare, in qua quidem re monendum est, ut caput in pelvi minore tam mobile esse debeat, ut sine periculo vitae fructus imminente protrahi possit.

c) Si mollium partium natalium talis concretio, vel angustia, vel forma tam abnormis invenitur, ut aut partum prorsus prohibeant, aut tolli non possint, quin perniciosae partus prohibiti sequelae jam intraverint, vel violatio aeque periculosa ac sectio caesarea existat. Quamobrem, operatione neglecta, fructus moritur atque putrescit, id quod matri quoque mortem brevi adfert.

2. Apud parturientem vivam, cujus fructus jam mortuus est, ubi pelvis tam angusta invenitur, ut fructus aut nulla conditione, aut hac tantum, ut viscera in pelvi sita verisimiliter sint violanda, in utero confractus per vias natales

perduci possit. Quapropter sectio caesarea est instituenda: a) si conjugata non longior est duobus pollicibus; b) si mediae pelvis apertura tam angusta est; ut caput in eam nec intrare, nec forcipe comprehensum introduci, quin imo supra eam ne teneri quidem possit; c) si apertura inferior talis est angustiae, ut perforatio atque embryotomia fieri non possit, quin violatio periculosior sectione caesarea existat; d) si casus ad 1, c) jam citatus intrat.

3. Apud gravidam, post septimum graviditatis mensem mortuam, cujus mors nullam habet dubitationem, ubi fructum, qui inversione vel forcipe per os uteri jam apertum educi non possit, vivere certum est.

Contraindicata est operatio:

1. ubi parturienti prope imminet mors, post quam usque proferenda est operatio.

2. Ubi pro certo cognitum est, fructum adhuc viventem ea esse conditione, ut vel moriatur necesse sit, vel vita dubia embryotomia sine periculo adhuc possit institui.

3. Ubi fructus immaturus, aut parvi fructus gemini adsunt.

In methodis est nominanda

I. illa sectio caesarea, in qua corpus uteri inciditur, postquam abdominis paries jam antea disjunctus est hisce sectionibus:

1. Sectione caesarea laterali, quae sectura longitudinali ad abdominis latus instituitur. Sectura vero ipsa inter lineam albam et lineam quandam, quam a costae verae postremae synchondrosi usque ad cristam ossis ilei ductam fingimus, ita efficitur, ut incipiatur unum pollicem supra umbilicum et finiatur unum pollicem supra cristam.

2. Sectione caesarea media, quam plurimi nostrae aetatis operatores praeferunt. In linea alba ita instituitur, ut sectio modo supra umbilicum, modo sub eo incepta usque ad synchondrosin ossium pubis ducatur. Ejus longitudo ut sex, vel ad summum septem pollices conficiat, praescribitur.

De Graefe sectionem quinque pollices

longam esse jubet, sed ejus finem atque initium non exacte constituit, quandoquidem distantiam umbilici ab arcu pubis apud mulieres non semper aequalem esse satis constat.

3. Sectione caesarea transversali. Haec vel ad latus maxime prominens uteri inter tertiam costam spuriam et cristam ossis ilei, porro inter musculum rectum et columnam vertebralem eadem altitudine cum umbilico, vel aliquantulum supra subterve instituitur atque ad longitudinem quinque pollicum producitur, vel transverse per lineam albam et utrumque musculum rectum inter lineas Spiegelianas amborum laterum efficitur, neque amplius octo pollices longa esse debet.

4. Sectione caesarea obliqua, quae a fine infimae costae spuriae alterius, usque ad ramum horizontalem ossis pubis alterius lateris oblique per lineam albam ita ducitur, ut sectura et linea alba in centris decussentur. Cujus vero sectionis longitudo ne sex, vel ad summum septem pollices excedat, cavendum est.

II. Gastro-elytrotomia illa sectio nomina-

tur, qua abdominis paries peritonaeo integro persecatur et vagina extra hujus cavitatem diffinditur. — Quod attinet ad tempus, quo operatio indicetur, si satis in tempore accesseris, usque ad tertiam, duce de Graefe, partus periodum proferenda est. Weiss periodum primam, Zang initium, Wiegand et Kluge finem secundae partus periodi ad secandum eligunt.

In morientibus post ultimum cordis pulsum, in mortuis statim facienda est operatio; potest vero fructus matri duodecim vel viginti quatuor horas supervivere.

CAPUT II.

HISTORIA MORBI.

Josepha G., mulier L. annorum, constitutione robusta, uxor agricolae, exceptis morbis infantilibus per totam vitam bona valetudina gavisa erat. Semper bene menstruans quinque jam ediderat partus, neque his in graviditatibus ullo casu adverso laborarat, neque inversionum vel forcipis ope unquam fructus solutus erat. Anno MDCCCXXXV, quum mulier sextum con-

cepisset, nihil erat quod a statu abhorreret sano. Initio igitur mensis Januarii MDCCCXXXVI primum doloribus partus femina correpta est, qui, quum acriores fierent, admonuerunt, ut omnia ad partum necessaria appararentur. Statim quidem incipientibus doloribus, sed magis etiam accrescentibus, parturiens certas foetus sensit motiones. Ambulante femina etsi crebro paullulum e vagina effluebat aquae, tamen foetus velamenta nondum rupta esse obstetrix retulit. Quum autem doloribus acrioribus coacta mulier lectum petiisset, obstetrix, vagina explorata, foetus caput in sublimi suspensum partumque adhuc procul esse professa est, et quod secuturum esset, exspectatura domum se contulit. Quamvis vero dolores incrementum capiant, tamen velamenta non rumpuntur. Postquam igitur aegrota, doloribus cruciata, vini adusti vitrum exhausit, et deinde vomitus ortus est ac per aliquod tempus duravit, repente aliquid in abdomine immutari sensit. Quod quidem, licet magnum dolorem vel lipothymiam non efficeret, tamen alvi for-

mam ita mutavit, ut supra umbilicum latior et quasi suffarcinata videretur. Quo facto dolores quidem desiere, parturiens vero in latere sinistro vehementem sensit dolorem, qui tactu augebatur, eamque impediit, quominus hoc in latere quiescere posset. Simul colostra secernebantur.

Postero die aegrota languida et viribus prostrata jacebat, ciborum appetitu carens magnoque abdominis dolore vexata. In quo rerum statu quinque fere per menses perseveravit. Per quod tempus nulla aut sanguinis, aut muci, aut lochiorum secretio apparuit, neque appetentia ciborum desiderabatur, lactis vero secretio, quae post dolores istos intraverat, mox prorsus suppressa est.

Motiones quoque foetus aegrota porro non sentiebat. Interdum autem parcus, praeeunte abdominis dolore gravante, accedit vomitus. Crebro etiam deponebantur faeces biliosae cum doloribus conjunctae quasi colicis et ita vehementibus, ut aegrota nec jacere, nec sedere posset.

Peractis igitur hoc modo quinque mensibus aegrota paullulum convalescere coepit et posthac lectulo relicto, domo exiit et vel sacra obiit publica. Tum etiam menstrua apparuere, quae nec mali fuerunt odoris, nec ichorem ostenderunt, e contrario bene responderunt. Etsi autem mulier obire potuit negotia, tamen, quum spiritum haurire impediretur, ei cavendum erat, ne gravioribus occupationibus distringeretur. Aegrota, appetitu crescente, modice cibo et potu quidem usa est, ut solent sani, nec non excretio alvina erat normalis, sed sudoribus ingentibus, qui praecipue noctu eruperunt, factum est, ut virium prostratio ac debilitas universalis exsisteret.

Sub tempus Christi natale a. MDCCCXXXVIII, duobus fere annis volutis, ipsum infra umbilicum duos digitos latus, dolorosus, in dies accrescens, ruber atque durus tumor in latere dextro ortus est. Primum folia herbarum, deinde fomenta calida imponebantur. Praeterea nisi forte sagaces anus guttas quasdam balsamicas vel ae-

thereas, quarum quidem, nescio ubi, audiverant nomina, vim vero minime noverant, hauriendas commendaverunt, nihil omnino factum est, quo malum re vera leniri potuisset. Obstetrice enim excepta ad unum omnes aegrotam obtestabantur, ne medici auxilium peteret, quippe qui hac in rerum conditione non modo nullum levamen afferret, sed augeret tantummodo malum magnasque imponeret impensas. Itaque omnis cura eo confecta est, ut manibus imponendis signoque crucis effingendo carminibus quasi Hecateiis aliisque magarum praestigiis excantare tentaretur.

Mensibus duobus interjectis abscessus sponte rumpebatur, ichorisque foetidissimi sanguinolenti nigricantis plus quam mensurae quadrantem protulit. Tres digitos transversos sub hoc hiatu de die in diem increscente et continue ichorem proferente mox alter abscessus minoris circuitus in conspectum venit, qui pariter dehiscebat cujusque secretio ejusdem erat qualitatis. Mulier praeterea conquesta est de magno in abdomine

continente dolore, qui potissimum id effecit, ut homines isti inopes medicum consulere animum tandem inducerent. Dr. Siegfried igitur, qui tum in oppido K., in provincia Posnania sito, medici officio fungebatur, die X. Martii anni MDCCCXXXIX arcessitus, anum maxime debilitatam, conquerentem de vehementi in abdomine dolore, qui omnem ipsi edendi vivendique cupiditatem adimeret, reperit. Umbilicum ipsum, et quae illi subjacebant partes, pus ita perforaverat, ut foramen diametro pollicis unius et dimidii conspicuum esset. Abdominis integumenta affinia, etsi pure non corrosa videbantur, tenuia erant eorumque carnes emacruerant. Et ulcus et regio affinis colore erat maxime rubro et tensum, ac si subjaceret corpus alienum. Ex hiatu autem apparebat columna vertebralis foetus suppurantis. Duos pollices et dimidium supra ulcus descriptum in linea alba alterum conspicuum fuit, diametro trium linearum, marginibus rosaceis non tensis, crassis. Per hanc fistulam, quae unum pollicem et quod excedit, erat longa,

specillum usque in cavum, quo foetus putrescens continebatur, immitti licebat. Ex utroque quidem ulcere, quorum tactu dolor valde augebatur, sanies maxime putida effluxit, sed magis dissoluta et decolor ex majore, quippe quae foetore intolerabili totum impleret conclave.

Verum quod viribus valde prostratis et tabescentibus vehementer mirandum videbatur, arteriarum ictus ut debilis esset, tantum abfuit, ut satis fortis vel duriusculus et tardus appareret. Alvus obstructa, urina non praesens. Quotidie horripilationibus et deinde magno plantarum ac totius corporis aestu affectam se esse aegra affirmabat. Sed quum sudoribus insequentibus fere dissolveretur, factum est, ut in dies magis debilitaretur et languesceret.

Omnibus hisce ex signis plane elucebat, veram graviditatem uterinam exstitisse, partum autem de caussis parum notis non editum esse, foetum mortuum in suppurationem et putrescentiam abiisse, et nunc, inflammatione exorta adhaesiva formatoque abscessu in eo esse, ut in

ichoris putidi formam conversus expelleretur. Quum omnia symptomata febrilia, quorum supra est mentio facta, tum istae horripilationes, aestus insequens, sudores vehementes, tabes, nihil aliud nisi febris hecticae signa habenda erant, quae aut morbi diuturnitate, humorum jactura et dissolutione procreata erat, aut digni cujusdam organi suppurationem demonstrabat. Ad illam accessisse videbatur quaedam in cavo peritonaei inflammatio excitata pure ichoreque considente. Quam opinionem abdominis dolor auctaque sensibilitas, pulsus fortitudo vel durities, alvi tarditas comprobavere.

Quae quum ita essent, universus aegrotae status fatalis apparuit, ut jam prorsus de ejus salute desperandum esse videretur. Unica spes in eo posita fuit, quod, quum inops aegrota malo diuturno hucusque nondum succubuisset, cura diligens aliquid ei afferre posset auxilii. Accessit, quod systema sanguiferum normali adhuc modo ad inflammationem sese habebat.

In curando hoc morbo, quamquam, si ad in-

flammationem abdominis respicias, methodus antiphlogistica indicata esse videbatur, tamen, quum aegrotam nimis debilitasset, nec non magna jam virium prostratio et febris lentescentis signa adessent, methodus roborans illi maxime fuit praeferenda. Decoctum ergo mite cortic. Chin. fusc. cum Acid. phosphoric. porrectum est. Super ulcus autem cataplasmata tepida, parata ex Infus. flor. Chamomill. admixta Calcar. muriatica imponebantur. Praeterea clysma emolliens ordinatum est. Ante omnia vero ad morbi caussam, foetus scilicet putrescentis remotionem, cogitandum fuit. Quamobrem Dr. Siegfried una cum Dr. Stanelli, medico forensi, et Proll, chirurgo militari, qui ipsi quoque in oppido Kosten versabantur, die XI mensis Martii ad aegrotam sese contulit. Omnes in eo consentiebant, aegrotam sibimet ipsi relictam haud dubie pessumdatum iri, deinde, etsi adhuc dubium esset, an vel operationem perpessa convalesceret, tamen spei umbram meliorem esse quam spem nullam. Itaque censuere, operationem esse instituendam.

Omnibus, quae necessaria viderentur, praeparatis, aegrotaque in situ opportuno posita, Dr. S., digito indice manus sinistrae hiatui majori immisso minorem petiit, per quem manu dextra nodulatum scalpelli Pottii apicem illi digito extremo imposuit. Ita carneum quasi pontem, qui inter utrumque hiatum fuit, persecando delevit.

Ex vulneris marginibus et parco sanguinis profluvio per uteri potissimum substantiam, quatenus nimirum cum alvi integumentis accrevisset, ductam esse sectionem satis clare apparuit. Quo facto foetus, quum ligamentis tendinibusque, nonnisi laxe conjunctus esset, sectione per infimam columnam vertebralem facta, duas in partes divisus et commode extractus est. Singulae vero vertebrae, ossium cranii suffragia aliaque ossicula, quae jam nullis cum trunco vinculis continebantur, singulatim exemta sunt, item membranarum quarundam rudimenta et fulva quaedam massa, pulti similis, quae fructus velamentum et cerebrum dissolutum esse videbantur. Ad quae

omnia promenda ipsis manibus usi medici illi, propterea quod orificium uteri internum tactu perciperent, in cavo uteri sese versari intellexere. Operationis vero diuturnitas et debilitas aegrotae, cui non modo manus immissio et extractio, verum etiam commoratio vehementissimos movit dolores, impedierunt, quominus tentarent, utrum specillum per illud foramen, quod orificium internum esse videbatur, demissum in vaginam usque produci posset, nec ne. Ceterum uteri parietes duos aut tres pollices circa umbilicum cum alvi integumentis concrevisse eos edocuit. Tamen dextram versus in parte quadam exigua fines minus circumscripti apparuere, sed in molle abire videbantur et canalem inter abdominis integumenta et parietem cavi posteriorem formabat, qui satis accurate explorari non potuit (1).

(1) Ipsa auctoris verba sunt haec: Auch wurde hiebei gefunden, dass die Wände des Uterus rings herum, ungefähr im Abstande von 2 bis 3 Zoll um den Nabel an die Bauchdecken angewachsen waren; nur an einer kleinen Partie rechts von diesem war die Begrenzung nicht so genau zu fühlen, sondern schien ins Weiche überzugehen, und bildete einen Kanal zwischen der

Ex quo verisimile fit, uterum primum ruptum esse, et vulneris sensim dilatati margines, exorta inflammatione adhaesiva, postea cum abdominis integumentis concrevisse. — Utero, quantum fieri potuit, spongiis purgato, vulnereque parcum sanguinem mittente emplastris adhaesivis contracto, hiatui parvo, qui restabat, linteolum tepido Chamomillae infuso humectatum, calcaria muriatica admixta, impositum et supra totum fascia satis constringens injecta est. Ante operationem et inter eam aegrotae aliquantulum porrigebatur vini Hungarici.

Ita feliciter operationem perpessa est non multo profuso sanguine, ut aegrota non magis debilitata videretur. Quamvis igitur bonam concipere liceret spem,, tamen verendum erat, ne abdominis inflammatio infaustum adduceret exitum. Contra quam symptomatice agere, non erat in tempore. De pure enim emendando et viribus roborandis omnia erant speranda. Ita-

Bauchdecke und der hinteren (?) Wand der Höhle, der nicht so genau zu exploriren war.

que cura nihil mutata, vel aegrotae permissum, ut ter quaterve per diem cochlear vini Hungarici exhauriret.

Quotidie praeterea vinctura renovatur, cavum uteri spongiis Chamomill. infuso et Calcaria muriatica humectatis purgatur, membranarum rudimenta, si quae inveniuntur soluta, removentur, et propter faeces semper parcas, duras, conglomeratas, nigricantes, clysmata emollientia ex Infus. Chamomill. cum oleo Olivarum et aliquanto Natr. muriatic. immittuntur nec non Infus. Chamomill. in vaginam injicitur. Ex quo dolores in abdomine quidem non prorsus desierunt, sed tamen diminuti sunt, ut noctes tranquilliores transigerentur. Vulnus et hiatus postero jam die maxime contractus apparuit, item parietes cavi, in quod tribus tantum digitis intrare licuit.

D. XIII. Mart. data est thea ex lichene Caarageen (ʒj) additis foliis Sennae (ʒß), et jussa est aegrota vascula duo quotidie haurire.

Sequentibus diebus aegrota tantis in abdomine doloribus cruciabatur, ut jam de vita agi

videretur. Pulsus parvus et frequens, alvus retardata. Quotiescunque vero mota est clysteribus, parca tantum scybala extorquebantur.

Die XV. et XVI. Mart. alvo minime descendente dolores maxime exacerbati sunt. Pulsus valde irritatus. Propinatum est Infus. radic. Rhei cum Ammon. muriatic. et Infus. Sennae composit. Per noctem vero, omissa ptisana, pulvis ex Morph. acet. (gr. $\frac{1}{3}$) cum Extract. Hyoscyam. (gr. $\frac{2}{3}$) sumenda porrigebatur.

D. XVII. Mart. Nocte paullulo quietius acta dolores per diem continue lancinantes manserunt. Sub vesperum vero, quum aegrota dolorem quendam, ut si quid in abdomine rumperetur sentiret, subito ejecta est ex vulnere massa faeculenta (1). Protinus levata totam per no-

---

(1) Verisimile est, intestinorum quandam partem cum posteriori pariete uteri, foetum continentis, exorta inflammatione adhaesiva concrevisse, foetu vero remoto uterum contractum esse, simulque intestinum adhaerens constrinxisse, et ita retentis faecibus obstructionem illam effecisse. Continua vero faecum accumulatarum irritatione denuo enteritis partialis orta esse et in exulcerationem abiisse videtur. Quo facto et intestino et posteriore pariete uteri perforatis, excrementa in uteri cavum profluxerunt.

ctem dormiebat mulier. Matutino tempore multum stercoris, duris conglobatis glebis intermixti, per anum ejectum est.

Die XVIII. Mart. quasi natans in stercore aegrota reperiebatur. Vulnus et vincturae faeculentis, partim non detritis excrementis contaminatae erant. Tum boni ominis fuit, quod alvus etiam per anum deposita erat neque anum praeternaturalem licebat praesagire. Principio quidem emissiones stercoris per vulnus crebriores et copiosiores erant, prout necesse fuit; hebdomade autem interjecta rariores parcioresque, tum raro tantummodo in vinctura apparebant, donec postremo prorsus desierunt. Interea vero sedes regulares nunquam deficiebant, sed magna cum cura clysteribus sustinebantur.

Usque ad XXVI. Mart. illa ex lichene Carageen et fol. Sennae ptisana continuata est, postea vero decoct. cortic. Chin. regiae cum Elixir. acid. Haller. usque ad sanationem porrectum est. Valetudo igitur aegrotae in dies melior. Vulneris dolor paullatim extinctus. Pus

semper probius et laudabilius et sub fine mensis Martii jam normale. Pariter vulnus se purgavit et magnitudine decrevit. Ne vero prorsus clauderetur, sed puri liber exitus permitteretur, linteoli striae ei immittebantur. Aegrotae igitur, ciborum appetitu quoque de die in diem gliscente, a quibusdam beneficis urbis matronis juscula carnis cibique faciliores suppeditabantur. Motiones dein febriles plane desierunt, arteriarum ictus sensim ad normam reductus, quies nocturna non amplius interrupta est, sudores sensim sensimque evanuere. Illae linteorum striae postremo tincturae Myrrhae guttis humidatae sunt, cavum vero ab XVIII mens. April. solutione hydrargyr. muriatic. corrosiv. addita Tr. thebaic. sublutum est.

Die IV. mens. Maji omnis medicamentorum usus omissus est. Femina enim bene valuit et jam in cubiculo ambulare coepit. Per aliquod quidem tempus juxta umbilicum fistula brevis longitudine pollicis dimidii, et sub ea duos aut tres pollices dolor exiguus restabat, interdum exa-

cerbatus et in modum hystericum se dilatans; posterius vero hae quoque molestiae desiere. Nunc igitur mulier ambulat et labores faciles subit. Immo mense Junio MDCCCXXXIX menstruationem recuperavit.

V I T A.

Ego, Cajetanus Ludovicus Hoppe, Seeburgi, Borussiae orientalis oppidulo, natus sum patre Cajetano Rocho, matre Barbara, e stirpe Kretschmer, quam morte ereptam per tres annos maxime lugeo. Fidem confiteor catholicam. Prima discendi feci initia in Progymnasio Roesseliensi, quod tum sub auspiciis Beat. Dost florebat. Octo deinde annos in gymnasio Brunsbergensi, ubi Cl. Gerlach fasces tenebat, versatus et anno MDCCCXXXVI tempore vernali in alma Albertina a prorectore magnifico Ill. Sachs in numerum civium academicorum receptus ad medicinae studia incubui. Ex quo tempore per XI semestria Regiomontii, Gryphiae, Halis, Berolini hisce interfui scholis: Exp. Taute logicen me docuit, psychologiam Ill. Rosenkranz; Ill. Dulk in chemia et pharmacia; Ill. Meyer in botanice; Ill. Rathke in zoologia, splanchnologia et angiologia; Ill. Burmeister in zoologia, botanice et mineralogia; Ill. Tillberg in physice; Ill. E. Burdach in osteologia, syndesmologia, myologia, neurologia et in arte cadaverum rite secandorum; Ill. Fried-

laender in historia artis medicae; Ill. C. F. Burdach in physiologia; Ill. Hayn in arte obstetricia me erudierunt. Ill. Sachs, Ill. Krukenberg, Ill. Schoenlein pathologiam, tam generalem quam specialem; Ill. Seerig et Ill. Kneip chirurgiam, ophthalmologiam et akiurgiam; Cel. Blasius fracturas et luxationes; Exp. Burow fascias rite applicandi artem mihi tradiderunt.

Clinicis medicis sub auspiciis Ill. Sachs, Ill. Krukenberg, Ill. Schoenlein et Beat. Osann interfui. Clinica autem chirurgica et ophthalmiatrica ducibus Ill. Seerig, Ill. Blasius, Ill. Jüngken, Ill. Dieffenbach frequentavi; in clinico obstetricio Ill. Hayn me docuit.

Quibus omnibus praeceptoribus gratias ago quas possum maximas.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, superatis nec non examine rigoroso rite absoluto, spero, fore ut disputationis publicae veniam, summosque in medicina atque chirurgia honores capessendos facultas medica amplissima mihi concedat.

THESES.

1. Menstruatio nihil analogi in natura habet.
2. Omentum majus intestinis calefaciendis non inservit.
3. Kali nitricum, Tartarus stibiatus et Calomelas in curanda pneumonia, nisi cum respectu et formae et stadii morbi, non porrigenda sunt.
4. Tenotomia non est periculosa.
5. Phonophobiae operatio rejicienda est.
6. Cerevisia Bavarica remedium in gonorrhoea secundaria.